

tem, sed tantum in determinata mensura, eo modo, quo in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur¹.

Multo magis similis explicatio a Concilio Vaticano excluditur, quod in canone condemnat sententiam, Romanum Pontificem „habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem . . . supremam potestatis“ iurisdictionis in universam Ecclesiam.

COMMENTATIO V.

Quo iure et quo sensu Summi Pontificis potestas dicatur episcopalis.

In capite tertio Constitutionis primae de Ecclesia, quo de vi et ratione Primatus agitur, Summi Pontificis potestas dicitur „vere episcopalis“ esse.

Ea vox in pristino schemate deerat². In adnotationibus tamen, quae eius capiti undecimo et canoni quinto adiectae sunt, doctrina dicitur proponi propter errores, quibus potestas Summi Pontificis vere episcopalis esse negetur, Febronii sc., Tamburini³, M. A. de Dominis, qui doceant, „potestatem Primatus absolvi munere sive officio merae inspectionis vel directionis“; eam „non esse plenam neque supremam potestatem pastoralis sive episcopalis iurisdictionis in universam Ecclesiam“; eam non esse ordinariam, „quum sit pro casibus tantum extraordinariis, ut aiunt, non ad greges pascendos, sed ad ordinis turbati tutelam; alii vero ordinariam eam esse concedentes ac inter pastores exercendam, negant, illam immediatam esse in singulos greges et fideles ad eosdem sc. docendos ac pascendos, quum Primatus potestas episcopalis non sit“⁴.

Iam, quum schema a Patribus deputationis pro rebus fidei reformaretur, quaerebatur, utrum potestas pontificia etiam in ipso schemate designanda esset episcopalis. Primo dissensio orta est, ita quidem, ut tredecim deputati hanc vocem recipendam esse negarent, sex eam recipi vellent. Audito autem theologo ac suffragiis denuo latis vox recepta est⁵. „Potestas,“ aiunt deputati in relatione cum schemate tradita⁶, „quae a Christo Domino collata beato Petro fuit apud Ioannem (21, 15 sqq.), est potestas pascendi agnos et oves; et talis potestas dicitur et est episcopalis. Porro . . . eadem potestas directe immediateque ita collata Petro fuit, ut eam haberet vi impositi officii pastoralis in universum gregem, qui totus ipsi citra aliud medium fuit

¹ Relatio etc. C. V. 348 c. Cf. 369 b. ² C. V. 571 c.

³ Petrus Tamburini (natus 1757; mortuus 1827). Eius loco aliqui falso huc retulerunt Thomam Tamburini S. I., moralistam († 1675).

⁴ Schema etc. C. V. 635 b sqq. Cf. 614 b. c.

⁵ Ex actis etc. C. V. 1681 b. — Ex diurnis etc. C. V. 1699 b. — Schema etc. C. V. 271 b.

⁶ C. V. 276 b. c.

commissum. Est ergo potestas universalis et ordinaria et immediata in totum gregem, hoc est, in omnes agnos et oves, seu in omnes particularium ecclesiarum pastores et fideles. Hinc liquet, potestatem supremam pascendi universum Christi gregem in Romano Pontifice vere esse episcopalem, non autem primatiale; quo enim haec phrasiss spectet, exponitur in adnotatione ad hunc locum in schemate de Ecclesia Christi.¹ „Veniam dent unus aut alter Rm̄i Patres,“ inquit Rm̄us Pie in relatione de toto schemate habita², „si vox illa potestatis iurisdictionis episcopalis, quae Pontifici Romano asserta in adnotationibus praecedentis schematis minus placuerat, in textum ipsum schematis revisi fuerit inducta. Ratio est, tum quia postularunt illud plurimi alii Patres, de statu actuali controversiae in suis respectivis provinciis solide ac presse disserentes, tum quia auctoritatem Summi Pontificis ac Vicarii Christi in omnem Ecclesiam non dumtaxat indolem Primatus metropolitici divinitus instituti, sed naturam pastoralis et ideo episcopalis iurisdictionis prae se ferre, sive ex ipsismet verbis Christi sive e traditione et historia certissima doctrina evincitur. Quod quidem pleno ore asseri ac proclamari gavisus sumus a non uno etiam ex Rm̄is Patribus, qui aliis huiusce propositae Constitutionis partibus non ita faverunt. Et reapse vox illa etiam apud nostrates, v. g. apud Gersonium, hoc etiam sensu iam diu fuit usurpata.“ Aliqui autem Patres in discussione speciali capitis vocem tolli volebant³. Unus ex iis breviter: „Vox episcopalis“, inquit, „utpote inaudita, pravis et periculosus interpretationibus favens, omnino eradatur.“⁴ Eam tamen retinendam esse censuit deputatio⁵. In relatione eius nomine habita Rm̄us Episc. Tarvisinus de illis emendationibus haec disserit⁶: „Quaeritur igitur, quae sit iurisdictionis episcopalis. Episcopi est pascere gregem: nulla enim magis familiaris idea regiminis episcopalis in sacris Literis, in Patrum operibus, in usu omnium christianorum, quam representare Episcopum veluti pastorem, qui pascit gregem. Pascit autem Episcopus tam exercitio potestatis ordinis quam iurisdictionis. Nam exercitium potestatis ordinis non nisi in subditos potest licite habere locum. Episcopi igitur iurisdictionis ad ea peragenda se extendit, quae necessaria sunt, ut fideles vitam aeternam consequantur; ac proinde debet Episcopus: 1. administrare sacramenta; 2. leges ferre ad bonum fidelium; 3. executioni ipsarum invigilare sive per seipsum sive per delegatos; 4. et proinde visitare dioecesim; 5. praedicare; 6. iudicare controversias; 7. punire sotes etc. Haec et similia comprehenduntur in verbo pascere. At haec Episcopus non potest facere nisi sub dependentia Pontificis Summi. Haec autem dependentia non est nisi limitatio iurisdictionis episcopalis.

¹ V. supra p. 154. ² C. V. 295 b. c. ³ Emendationes etc. C. V. 337 c sqq.

⁴ Emend. 15. l. c. ⁵ Ex actis etc. C. V. 1690 a. ⁶ C. V. 351 a sqq.

„Consideremus autem, quaenam Iesus Christus attribuit Apostolo Petro et eius successoribus. Nonne in praemium triplicis declarationis amoris dedit illi munus pascendi gregem, scilicet agnos et oves? Cum hoc discrimine, quod Episcopis datum est tantum pascere, qui in eis est, gregem, scilicet determinatas partes gregis illis commissas; Petro autem et successoribus eius datum est pascere omnem gregem, agnos et oves, simplices fideles nempe et Episcopos, in suo regimine independentes ab aliis; dum contra Episcopi pascunt semper, ut diximus, dependentes a Petro et Petri successore. En igitur successor Petri potest in toto orbe christiano omnia peragere quae superius enuntiavimus, et proinde administrare sacramenta, leges ferre, invigilare etc., praedicare, iudicare controversias, punire fontes etc. Quaero igitur, potestne haec omnia peragere vere in toto orbe catholico? Qui contradiceret, innumeris obrueretur antiquitatis exemplis.

„Nec dicat aliquis, haec peregrisse Pontificem summum qua Patriarcham occidentalem. Nam praeter exempla innumera huius iurisdictionis exercitii in Oriente, notum est, privilegia Patriarcharum, Primatum et Metropolitanorum esse positiva, et ex concessione Pontificis Summi. Si igitur aliis Patriarchis provenit a concessione Summi Pontificis, consequitur, in ipso privilegium esse ex institutione divina. Eadem igitur quoad speciem est episcopalis potestas Episcoporum in singulis suis dioecesibus et in Pontifice Summo quoad omnes dioeceses, cum hoc discrimine, quod in Pontifice Summo est in sua plenitudine, in aliis restricta; in Summo Pontifice independens, in Episcopis dependens; in Episcopis coarctata ad suas dioeceses, in Pontifice Summo sine ulla limitatione loci, sed ad terminos terrae. Cum igitur convenire nos necesse sit, realiter potestatem Summi Pontificis esse eandem specie ac potestatem Episcoporum, quid vetat, quominus utamur eodem vocabulo ad qualitatem enuntiandam iurisdictionis, quae exercetur per Pontifices et Episcopos, et dicamus, episcopalem potestatem in Episcopis, et summam supremam potestatem episcopalem esse in Summo Pontifice? Negat relator, vocabulum novum esse. Imprimis potestatem episcopalem idem esse cum pontificali; hanc in Episcopo dici pontificalem, in Summo Pontifice summam potestatem pontificalem. Porro Summum Pontificem se dicere catholicae Ecclesiae Episcopum. Negat etiam, rationem nominis illius usurpandi deesse. „Notum est,“ inquit, „imo usitatissimum in Ecclesia, ut nova dogmatica vocabula adhibeantur novis erroribus insurgentibus. Nostris temporibus reapse valde periculosa sententia apud aliquos invaluit, quae sustinet, Summum Pontificem non posse in aliis dioecesibus a Romana diversis ea peragere, quae Episcopus quilibet in sua propria, eo praetextu, quod alias illorum iurisdictionem laederet: perniciosus error a Vaticano Concilio est configendus; et hoc optime faciet, si sanciat sua auctoritate, potestatem Summi Pontificis exercendam in qualibet dioe-

cesi esse proprie episcopalem.“ Affert relator etiam locum ex Concilio provinciali Coloniensi anni 1860 (cap. 25.): „Romano Pontifici ut Ecclesiae capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi et pastori supremo vera iurdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam.“¹

Sententia deputationis longe maiori parte suffragiorum Patrum approbata est². Aliqui postea, quum de tota Constitutione ferrentur suffragia, suo suffragio „Placet“ conditionem adiecerunt, ut vox „episcopalis“ deleteretur³. Sed, quod decisum erat, retentum est⁴.

COMMENTATIO VI.

De inciso canonis capituli tertii: „aut eum [Papam] habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis“.

Canon capiti tertio adiectus est hic: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.“

Incisum, quod literis insignioribus notavimus, non erat neque in schemate pristino de Ecclesia⁵ neque in schemate, quod a deputatione de rebus fidei reformatum Patribus traditum est⁶. Inter emendationes autem, quae in discussione speciali tertii capituli a Patribus proponebantur, erat etiam haec, ut canonis tertii capituli substitueretur haec formula: „Si quis dixerit, Romani Pontificis Primatum esse tantum officium inspectionis et directionis, et supremam ipsius potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non esse plenam, sed tantum extraordinariam et mediatam; anathema sit.“⁷ Noluit quidem deputatio de fide hanc canonis formulam Patribus commendare, quippe quae aliqua ex canone proposito omisisset; id tamen placuit, quod in ea formula Summi Pontificis potestas non iam, ut in canone proposito, dicebatur plena et suprema, sed potestas suprema dicebatur plena, et propterea clarius exprimebatur conceptus plenitudinis, quum plenitudo Summo Pontifici attribueretur non tantum potestatis ecclesiasticae, sed supremae potestatis ecclesiasticae⁸. Quare deputatio emendationem iuxta modum admisit atque addidit illud incisum, de quo agimus, ut integer iam

¹ C. V. 353 c. ² C. V. 367 d. ³ Exceptiones etc. C. V. 438 d.

⁴ Relatio etc. C. V. 469 a. ⁵ C. V. 377 d. ⁶ C. V. 274 a.

⁷ Emendationes etc. C. V. 345 d sq. ⁸ Relatio etc. C. V. 371 b. c.